

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae

**Wernher, Johann Balthasar von
Lipsiae, 1698**

§. XXII

urn:nbn:de:bsz:31-102612

gumentum, qvod pro negativa *Bedin. d. Rep. I. t. e. 3.* adducit, qvod
nimurum hoc modo alterutrius conjugum aestimatio minuatur. Nam
si intelligit conjugem, cuius culpa locum fecit divortio, jure dimi-
nutionem sua famæ patitur; etiamque incurrit, etiamsi nullâ præviâ
judicis cognitione, separatio fieret. Sin autem sermo ipsi de parte
laesa est; non capio, qvomodo magis ipsius aestimatio lœdatur, si
magistratu causam divortii approbante, se à conjugè separat, quam
stid suo arbitratu faciat; cum hoc casu de justitia causæ dubitari,
conjugisqve proinde divortium facientis fama magis periclitari
possit.

§. XXII.

Atque hæc circa divortia Jure Naturali ita obtinent. Unde
manifestum est, concedi *Grotio* simpliciter non posse, qvod asse-
rit *d. J. B. & P. I. c. II. §. VI. n. 3.* *Divortium tale quid non esse, ut
absque lege divina nefas in eo appareat.* Falsum enim hoc esse, ea,
qua hactenus disputavimus, lati ostendunt; cum *Jus N. virum &
feminam matrimonium ineuntes in individuam consuetudinem
conspirare velit.* Et sanè, si quid video, *Grotius* proprio se gladio
jugulat; fatetur enim, divortium ejusmodi quid esse, ut eo abstinere
honestius esse dicitet ipsa ratio. Opinor enim, qvicquid honestum
esse recta, h. e. legum naturalium cognitione imbuta ratio dicitat,
id *Juris Naturalis* esse. Nec erat, cur rem comparativè *honestius*,
exprimeret. Absurdum enim est, eorum, quæ sibi contrariantur,
unum honestum, alterum honestius pronunciare.

§. XXIII.

Similiter valde errârunt *Judei*, dum nescio quam necessi-
tatem sibi impositam fixerunt, ob sterilitatem dimittendi
uxorem; qvod haud obscurè indicat *Philo Judeus d. special. LL.* cùm
ita loquitur: *Qui puellas duxerunt incerti de futura facunditate, si ste-
rilitate tandem deprehensâ, non eis renuntiant, & res suas sibi habere
agere finunt, merentur veniam, quia vieti diuturnâ consuetudine amo-
reg, mutuo non valeant vim inferre suis affectionibus, impressis jamdu-
dum in animo.* Qui autem comperte sterilitatis expetunt ad con-
jugium, suum hircorumqve more querentes solam venerem, in impi-
orum album adscribantur, ut Deo repugnantes, cui hominum genitu-